



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum  
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ  
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Sed an is qui fecit Confessionem aliquam invalidam, tenetur cum illa  
omnes subsequentes iterare?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

ciat ad cognoscenda peccata commissa, consideratis capacitate, & memoriâ pœnitentis, diuturnitate temporis ab ultimâ validâ Confessione transacti, multitudine & qualitate negotiorum, obligationum, occasionum, & consuetudine peccandi, aliisque circumstan-  
tiis. Quare non æquale in omnibus requiri-  
tur examen, sed in aliis brevius, in aliis lon-  
gius.

*Q. 12. Quandõnam iterari debet Confessio?*

*Resp.* Quoties fuit nulla, sive culpabiliter,  
sive inculpabiliter; sive ex parte pœnitentis  
defectu doloris, vel propositi sufficientis, in-  
tegritatis formalis, vel ob notabilem negli-  
gentiam in excutienda conscientia, nisi Con-  
fessor eam suppleverit: sive ex parte Confessa-  
rii defectu potestatis aut intentionis requisi-  
tæ: quia in his casibus Sacramentum fuit nul-  
lum, & sic peccata non fuerunt per illud re-  
missa. Omnia autem peccata mortalia de-  
bent subjici potestati clavium & remitti per  
Sacramentum Pœnitentiæ, ideoque per Con-  
fessionem, & Contritionem debitam & ab-  
solutionem validam. Idem dic si dubium sit  
an Confessio irrita fuerit; nam præcepto cer-  
to non satisfit per dubiam executionem, & in  
dubio pars tuiore eligi debet.

*Sed an is qui fecit Confessionem aliquam inva-  
lidam, tenetur cum illa omnes subse-  
quentes iterare?*

Z. 5.

*Resp.*

*Resp.* Tenetur, si eas fecit cum conscientia Confessionis invalidæ, quia reverâ sunt omnes invalidæ, ob defectum essentiale. At si post unam Confessionem invalidam, postea fecit alias cum debita dispositione, & bona fide procedens, præcedentis defectus nullam habens memoriam: non tenetur, inquit Sylvius, has repetere, sed solum illam, vel illas, quas fecit cum conscientia defectus: quia illæ alias fuerunt validæ, cum haberint omnia necessaria ad bonam Confessionem.

*Q. 13. An est mortale mentiri in Confessione?*

*Resp. I.* Mortale sacrilegium est omne mendacium in materia Confessionis necessaria, ut si pœnitens falsò neget se commisso mortale nondum legitimè confessum, vel circumstantiam necessariam: vel si neget aliquid aliud grave, quod interrogatus à Confessario tenetur aperire, qualis est peccandi consuetudo, dispositio præsens, &c. Nam tunc in re gravi ad Sacramentum, vel ejus rectam administrationem pertinente decipit Judicem suum, & Medicum à Christo institutum, ut secundum cognitionem per Confessionem partam, & poenas peccatis proportionatas imponat, & remedia opportuna præscribat. Idem dic, si contra conscientiam falsò afferat se commisso mortale: quia judicem suum, in re gravi ad judicium Sacramentale pertinente & necessaria decipit, & per illam additionem